Q. B. V.

De

IMMUTABILITATE ET MUTABILITATE JURIS

ad ductum §. 11. Inſt. de J. N. G. & Civili,

Conſenſu

Magnifici Juris-Conſultorum Ordinis

PRÆSIDE

VIRO

Nobiliſſimo, Conſultiſſimo, atq; Excellentiſſimo

DN. WILHELMO LYSERO,

J. U. D. & Anteceſſore in hac Academiâ celeberrimo,

Curiæ Provincialis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ

Aſſeſſore graviſſimo,

Patrono ac ſtudiorum ſuorum Promotore

ætatem colendo

diſputabit

JOHANNES FRIDERICUS Hertzog/

Dresdenſ.

In Auditorio JCtorum

Ad d. 19 Mart.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

WITTEBERGÆ,

Typis DANIELIS Schmatz / Acad. Typogr.

ANNO M DC LXX.

2036.

I. N. D. N. J. C.

QVi forte ac temere omnia in mundo fieri exiſtimant, æqve abſurdi ſunt, qvam impii. Etenim, ut propter abſurditatem proceſſus in infinitum, fateri neceſſe habent, naturali rationi, præciſa etiam revelatione divinâ, conſentaneum eſſe, omnia, ab uno Ente ortum traxiſſe, ita concedant oportet, ejusdem ductu ac influxu, eadem adhuc hodie dirigi ac conſervari, niſi rectæ rationi temerario refragari velint auſu. Fallor autem an non hæc opinio ſummam ſimul involvat impietatem, dum illius aſſeclæ, debito, ſummum illud Ens & actum perfectiſſimum, defraudant encomio perſvaſi videlicet, omnia, qvæ hic fiunt & geruntur, Id inſuper habere, adeo, ut cuiq; lex præſcripta non ſolum non eſſet, agendorum faciendorumve, ſed & cuiq; facere liceret, qvæ ſibi recta videntur. Aliud certe & meliora edocemur, vel ex ſolo rerum inanimatarum, ne dicam animatarum & rationalium intuitu. Ubi ſingula qvæq; naturæ congruentes habent vices, & inclinationes, à qvibus vix aberrant. Homines vero, præter hæc, qvasdam divinæ imaginis reliqvias inſuper posſident. Ad qvas, veluti normam, actiones ſuas exigere debent. Dicitur hoc, jus naturæ, id vero, qvod animalibus brutis, ac rebus inanimatis com-

competit, rectius naturam, qvam jus appellamus. Eſtqve hoc jus naturale, maximam partem, fundamentum illius, qvod inde fluxit, Juris Civilis, cum qvorum utroq; ſimul, vel alterutro ſaltem, harmonice conſpirare debent actiones hominum in republica bene conſtituta, adeo ut prius omnem mutationem reſpuat, ſaltem poſterius eidem obnoxium eſt, prout ſalus publica id exigere videtur. De hac JURIS IMMUTABILITATE & MUTABILITATE, ad ductum §. II. Inſt. De I. N. G. & C. *nonnulla breviter pro ingenii viribus diſſeremus. DEUS adſit conatibus.*

§. I.

JUs diximus eſſe *mutabile* & *immutabile*, non in ſenſu compoſito, ſed diviſo, qva ratione omnis ſimul expirat contradictio, dummodo, non de eodem ſubjecto, ſermonem nobis eſſe conſtet ita colligentibus: *Jus Naturæ eſt immutabile, Civile vero mutationem recipit.*

§. II. Vocabulum Juris, qvod à jubendo derivatur, diverſo reſpectu pro cauſa & pro effectu juſtitiæ ſumitur. Qvæ utraqve ſignificatio ſuo modo qvidem hic applicari poſſet, malumus tamen eam apprehendere, qva jus effectus Juſtitiæ dicitur. Et reſpectu qvidem Juris naturæ ita ſe res habet: Juſtitia divina & Jus naturæ, tanqvam æternæ cum DEO cöexiſtentiæ realiter non differunt, per rationem tamen ratiocinatam, qvatenus in ſigno rationis DEI, Juſtitia prior concipienda eſt, qvam Jus Naturæ, effectus juſtitiæ id non incongrue dicitur. Similiter in Jure Civili comparatum eſt; Jus effectus ibi erit, qvatenus Legislator ad dictamen rectæ rationis, & exinde fluentem Juſtitiam, leges condere debet. Rejicimus ergo illam ſignificationem qva jus ſumitur pro facultate, qvam aliqvis

ſibi acqviſivit, vi legis aut conſvetudinis, ut qvod v. c. maritus habeat jus utendi fruendiqve bonis uxoris. Nec ſumimus Jus pro titulo *l. 10. pr. D. ſi ſervitus vindicetur.* Multo minus accipimus Jus pro arte Syſtematicè ſumpta. Admittimus tamen atqve toleramus, qvod aliis dictamen, lex, nec non regula agendorum, juſtumqve dicatur.

§. III. Eſt autem *Jus duplex Naturale* & *Civile*. Gentium enim qvod dicitur Jus, ea ratione qva nec naturale, nec civile eſt, rectius mores Gentium dixeris. Scilicet, omne Jus præſupponit poteſtatem ſuperioris alicujus jubentis cógentisqve. At vero jus Gentium, qvatenus tale, & prout communiter deſcribitur in ſe & ſua natura conſideratum, tale qvid non habet, ita ut ea ratione, qva Jus id eſt obligatorium eſt, à juræ Naturæ aut Civili differat. Qvare ſi Jus Gentium eſt obligatorium, vel ad naturale vel ad civile referri poteſt. Huc, ut nihil dicam de *Ariſtotelis* authoritate, Jus in Naturale & legitimum ſeu Civile devidentis, collimant tum textus in Jure noſtro, *§. 1. J. R. D. §. 11. & 41. eod. item l. 9. D. J. J. cum §. noſtro*, tum ipſæ rationes, qvas Dd. pro aſſerendo Jure Gentium ſecundario qvod proprie Jus Gentium eſſe volunt, in medium afferunt. Qvod ut recte intelligatur 1. Nullam nos agnoſcimus differentiam, inter præcepta juris naturæ ſive cum, ſive absqve illatione cognoſcantur, ſed omnia nomine præceptorum Juris naturalis, & ex eodem principio, tam hæc, qvam illa obligant. Itaqve nobis non officit *Vinnii, Sudboldi* & aliorum ſententia, qvi diſtingvunt inter præcepta Juris naturæ ſimplicia & compoſita. 2. Qværerem qvomodo Jus Gentium fuerit conſtitutum? *Habnius ad Weſenb. n. 15. tit. de J. J.* dicit conſenſu tacito. Dico: Hoc pacto, reſpectu eorum qvi non conſenſere, non eſt obligatorium, reſpectu vero eorum, qvi conſenſerunt obligatorium qvidem eſt; at ita merum Jus Natu-

rale erit, qvia principium, qvod pacta ſervanda eſſe dicit, eſt juris naturæ. Alii cum *DN. Struvio Diſſ. 1. de J. J.* à qvo *Habnius* cit. loco non diſſentire videtur, Jus Gentium ſecundarium, conſtitutum eſſe dicunt per ratiocinationem, qvæ utilitatem & necesſitatem communem reſpexerit. Ubi qvidem præmittimus, jus naturale non tantum præcipere de iis, qvæ omnem actum voluntatis humanæ præcedunt, ſed & conſeqvuntur: Porro qvantum ad ratiocinationem, qvæ hoc Jus Gentium conſtituat, attinet, repetimus ea qvæ, de exæqvatione præceptorum juris naturæ, ſive cum diſcurſu rationis, ſive ſine eo cognoſcuntur, modo diximus. Qvod autem hanc ratiocinationem uſum & necesſitatem reſpicere dicant; ad hoc reſpondemus, per uſum & necesſitatem nullam actionem juſtam fieri, ſed utilem tantum & neceſſariam, qvomodo ergo hoc fundamentum efficiet jus? Deniqve exempla illa, qvæ adducuntur ex *§. 2. Inſt. de J. N. Get. C.* cum ex *l. 4. & 5. D. J. J.* non qvadrare videntur, cum facta potius involvant, juſta demum vel injuſta, qvatenus naturali rationi adſtipulantur, aut ab ea diſcrepant. Abſit tamen ut dicam ſcribamus, tot ac tantus Viris, qvi Jus Gentium ſecundarium qvod vocant, pro diverſo, à Jure naturali & Civili agnoſcunt. Nobis enim placet διχοτομεῖν magis qvam τριχοτομεῖν: Qvia & fortior eſt oppoſitio in duobus membris, & ratio etiam adeſt, qvæ nihil abſurdi introducit, aut implicat.

§. IV. Cæterum Jus Naturale nobis eſt dictatum rectæ rationis, hominum mentibus à DEO impreſſæ, indicans actui alicui ex ejus convenientia aut diſconvenientia ſecum, ineſſe moralem turpitudinem, aut necesſitatem moralem, ac conſeqventer ab auctore Naturæ DEO, talem actum præcipi aut vetari.

§. V. Jus

§. V. Jus vero Civile eſt dictatum legis humanæ, ab eo, qvi majeſtate pollet profectæ, circa ea qvæ naturali jure non ſunt determinata adeoq; indifferentia Reipublicæ ſalutis gratia introductæ.

§. VI. Utriusqve hujus Juris *ſubjectum operationis* & *Qvod*, & *circa Qvod*, (liceat ita nobis ad ſimilitudinem habituum procedere) item *ſubjectum inhæſionis* tam *qvod*, qvam *qvo*, *cauſa* etiam *efficiens*, *modus propagandi*, tum *natura* etiam ac *forma per qvam* jus eſt, adeoq; ſimul differentia, qvæ inter utrumqve intercedit, ex his definitionibus patet. Et *ſubjectum operationis* qvidem Juris naturalis *immediatum ſeu qvod*, ejusqve *materiale*, in ſpecie ſunt *actiones hominum liberæ*, *formale* vero *qvatenus dirigibiles*, *ſecundum dictamen rectæ rationis*. *Mediatum* vero ſeu *circa qvod*, iterum *qvoad materiale* ſpectatum, ſunt *res moraliter bonæ vel malæ*, *formale* autem *prout ſunt dirigibiles*, *ut aut vitentur ab homine*, *aut eligantur*, *qvatenus cum recta ratione conveniunt*, *aut ab ea diſcrepant*. *Subjectum inhæſionis* & qvidem *qvod ſeu denominationis* eſt *homo*, *informationis* vero ſeu *Subjectum qvo*, *anima rationalis qvoad intellectum & appetitum utrumqve rationalem & ſenſitivum ſpectata*. *Cauſa efficiens natura naturans* (à qva etiam naturale jus dicitur) ſive *DEUS eſt*. Qvi *per impresſionem occultam hominum mentibus hanc regulam inſcripſit*. Cumqve ſit omnium qvæcunqve ſunt Dominus à nullo dependens, à qvo tamen omnia dependent, *id qvod jusſit* (in qvo juſſu ſeu præcepto naturæ juris latet) *non poteſt non obligare mortales*, ut ad hanc normam actiones ſuas componant. Falluntur ergo hinc illi, qvi obligationem ex rei bonitate vel malitia intrinſeca oriri aſſerunt; fundamentum enim eſſe obligationis utut forte non negaverim, obligationis vim tamen eidem adſcribendam eſſe non dixerim. Et certe vel propria refractarios convincit conſcientia, ex qva ratione

recta

recta utentes ſe eidem obſtrictos eſſe ſentiunt, qvoad negativa præcepta qvidem ſemper, qvoad affirmativa vero qvoties offertur occaſio. Permisſiva enim, ſi accurate loqvi velimus, ſpeciem juris naturalis non conſtituunt. Cum enim lex per ſuam naturam involvat præceptum, & per conſeqvens obligationem tale qvid non poteſt conſtituere ſpeciem Juris, ad qvod ego non obligor. Per indirectum tamen ad effectus juris referri poſſunt. *Vid. W. Grot. §. 10. & ſq. c. 2. de princip. nat.*

§. VII. Jus Civile eodem modo explicari poteſt, niſi qvod in ejusdem definitione mentio inſuper facta ſit finis, qvi tamen etiam in altera facile apponi poterat. Et *ſubjectum* qvidem *operationis immediatum* idqve *materiale*, dicimus *actiones hominum liberas*, *formale* vero, *ſecundum legem poſitivam dirigibiles*. *Mediatum* autem *ſunt res indifferentes & Jure naturali non determinatæ*, ad qvas ante legem civilem nulla erat obligatio, *formale* vero qvatenus *aptæ natæ ſunt ad ductum legis tractari*. *Subjectum inhæſionis*, tum *qvod*, tum *qvo*, forte cum ſubjecto Juris naturæ non incommode idem ſtatui poſſet, niſi qvod, Magiſtratum obedientia externa contentum eſſe poſſe, vero ſit ſimilius. Adſcribimꝰ autem tanqvam *cauſæ* legem tali, qvi habet Majeſtatem & jus condendi leges; Modum tamen propagationis non inſinuavimus adeo præciſe, cum lex civilis diverſo modo innoteſcere posſit. Dummodo enim à ſubditis percipiatur aut percipi potuerit, eo ipſo obligabuntur. Finis apponi, ſi recte conjicio, debebat, ut pateret cur indifferentia in hunc ſtatum redigerentur. Tale jus olim fuit Athenienſium, & Romanorum, de qvibus Imperator §. 2. *Inſt. de J. N. C. & G.* hodie Saxonicum &c. ab unaqvaqve civitate non incommode forte civile appellatum.

§. VIII. Hacte-

§. VIII. Hactenus de *ſubjecto* ſeu Jure, tum *naturali*, tum *civili*. Nunc de utriusqve prædicato *Immutabilitate* & *Mutabilitate* tanqvam propriis ſeorſim videbimus. Immutabile dum dicimus eſſe Jus naturæ, id intelligimus, non ſolum reſpectu hominum, ſed & DEI ipſius. Ex parte hominum res eſt perſpicua. Cum enim omnes juri naturali tanqvam præcepto divino ſubſint, mirum non eſt, ſi inferiores, in eo, qvod ſuperior juſſit, nihil mutare posſint. Qvamvis itaqve Legislator aliqvis contrarium ſtatueret, illud tamen non immutaret jus naturæ. Hinc porro jus naturæ nobis immutabile dicitur, non ratione transgresſionis, ſed abrogationis aut diſpenſationis, adeo, ut ne DEUS qvidem id immutet eodem ſubjecto, objecto, materia & circumſtantiis manentibus. Et huc pertinet illud in vulgus notum: Qvædam juſta eſſe & recta tantum, qvia DEUS vult, qvædam vero juſta eſſe & dici, qvia DEUS aliter velle non poteſt, qvæqve adeo ſuâ juſtitia intrinſecâ omnem voluntatem DEI liberam antevertunt, qvæ poſteriora ad Jus naturale applicari poſſunt. Scilicet cum DEUS ſit ſanctisſimum Ens, ab æterno etiam hoc præceptum naturæ ſuæ conveniens, & ex eadem qvaſi reſultans, non potuiſſe non velle, cenſendum eſt: id qvod etiam hodienum durat, & in perpetuum mutari non poteſt, ſalva DEI eſſentia, qvam mutari verè, nemo ſanæ mentis dixerit. Itaqve neqvaqvam aſſertum noſtrum defectum aliqvem in potentia DEI arguit, qvem tantum abeſt ut de Ente infinitè potente nobis imaginemur, ut contra ea firmisſime cum Apoſtolo ſtatuamus, DEUM omnia facere poſſe ſupra ea qvæ cogitamus, qvod ex dicendis clarius apparebit.

§. IX. Nempe huic noſtræ ſententiæ & aſſertioni tria potisſimum obſtare videntur: Omnipotentia DEI:

Exempla contrarium forte probantia. Et textus deniqve juris, qvi Jus naturæ à civili immutare poſſe, ſvadere videtur. Sed videntur, haud tanti tamen ſunt, ut qvicqvam obtineant. De ſingulis ordine.

§. X. Verum eſt DEUM pollere potentia abſoluta: Non tamen ea ſe extendit ad ea qvæ contradictionem in intellectu divino involvunt. At vero mutare Jus naturæ eſt mutare eſſentiam DEI & facere ut ſanctisſimum Ens exuat ſanctitatem, diſpenſando circa ea qvæ bona vel mala ſunt moraliter, qvod implicat. Qvomodo vero DEUS eſt omnipotens? Dico vocabulum omnipotentiæ recte explicatur per potentiam posſibilium; unde abſurdum non eſt, ſi dicamus excipienda qvædam eſſe propter rerum ipſarum ineptitudinem ad exiſtendum, qvalia ſcilicet nec ſunt, nec eſſe poſſunt, ſed tantum dicuntur, adeoqve ad *τὸ omne* non pertinent. Nec tamen, qvod DEUS talia non posſit, qvicqvam magis ejus omnipotentiæ decedit, qvam oculis noſtris, qvod non posſint videre rem inviſibilem. Enimverò ineptitudo iſta ad exiſtendum in imposſibilibus ipſis datur, tanqvam in objectis, qvæ ſi apta forent, imposſibilia eſſe deſinerent. Nullus vero in potentia divina defectus eſt, cum ad objectum ejus imposſibilia illa, non habentia rationem factibilitatis, non magis pertineant, qvam inviſibilia ad objectum viſus, cui nec objiciuntur, nec per naturam ſuam objici poſſunt. Nunc potentia tamdiu eſt perfecta, qvamdiu reſpectu adæqvati objecti ſui nullum defectum habet. De cætero ſatis ſeſe exerit omnipotentia DEI, producendo ea, qvæ contradictionem qvandoq; in mente humana involvunt. Deniq; neminem moveat phraſis, DEUM Jus naturæ immutare non poſſe. Recurrit enim ac effectu coincidit cum illo qvod Apoſt. 2, Tim. 2. dicit, DEUM ſeipſum negare non poſſe.

qvam-

qvamvis alias ab hac loqvendi formula, qvantum fieri poteſt, libenter abſtineamus.

§. XI. Suppoſito jam DEUM qvoqve citra omnem tamen imperfectionem, non poſſe immutare Jus naturæ, eodem ſubjecto, objecto, materia, & circumſtantiis iisdem manentibus, breviter qvid de exemplis, contrarium forte ſvadentibus ſentiendum ſit, aperiemus, ad Moraliſtarum uberiorem explicationem, pasſim ipſorum ſcriptis traditam, cupidum lectorem remittentes. Qvando itaqve Iſraelitæ juſſu DEI Ægyptiis vaſa pretioſa abſtulerunt, aut homo qvispiam, ejusdem mandato interfectus fuit, ea non ſapiunt mutationem juris naturæ. Objectum enim, uti nonnulli, aut ut *Ill. Grotius* vult, materia juri fuit ſubtracta, adeo ut DEUS juſſu ſuo rem ſuam alienam feciſſe, aut injuſte hominem interfici curaſſe, putandus non ſit, cum idem vitæ ac rerum Dominus ſit atqve arbiter. Qvamvis in priori exemplo & hæc ratio dari posſit. Scilicet æqvum erat, ut Iſraelitæ pro exantlatis laboribus pretium qvaſi qvoddam acciperent: jam debitum Reipublicæ pertinet ad ſingulos: Optimo ergo jure DEUS mandare poterat, ut Iſraelitis pretioſorum vaſorum ablatione, ab Ægyptiis ſatisfieret. Gravius adhuc obſtare videntur conjugium fratris & ſororis in V. T. & Polygamia ſimultanea. De qvibus alii multa, nos pauca. Conjunctione fratris & ſororis nihil immutatum fuiſſe in Jure naturæ, cum leges iſtæ matrimoniales hominum genus non ut multiplicandum, ſed ut multiplicatum demum obligaverint qvidam dicunt; Alii Auguſtinum ſecuti in neces ſitate ſubſiſtunt. Poſſet etiam tentari, DEUM O. M. ſubtrahendo primis hominibus illam verecundiæ naturalis partem, qvæ fratrem & ſororem invicem abhorrere facit, ne lex iſta, connubia fratrum & ſororum prohibens, eos obligaret, effecis-

effeciſſe: Polygamia vero ſimultanea ex ſententia recentiorum qvorundam contra Jus naturæ non eſt, qva ratione nec nobis opponi poterit. Sed ſit ea tamen contra Jus naturæ, ceu verior ſententia autumat, nihilominus toleratam eam non probatam in V. T. dici poterit. Qvæcunqve reſponſio placuerit, certum eſt DEUM T. O. M. Jus naturæ, qvod imago & effectus ſanctitatis divinæ eſt, non plus mutare, qvam ſe ipſum negare poſſe.

§. XII. Qvid vero nunc ad *l. 6. D. de J. & J.* & ea, per qvæ Jus Civile, mutationem juri naturæ inferre videtur reſpondendum erit? Eqvidem ſi legem illam penitius inſpicimus, verba illa: Itaqve cum aliqvid addimus vel detrahimus &c. mutationem qvandam involvere, probabile videtur. Rem tamen ita ſe non habere ſeqventia docebunt. Scilicet hic notanda eſt *1.* Diviſio præceptorum Juris naturæ, qvorum alia ſunt negativa, alia affirmativa, horum omnia, præter id ſolum, DEUM eſſe colendum, limitationem patiuntur, illa vero neqvaqvam. *2.* Notetur aliud eſſe addere & ſubtrahere, aliud immutare. Addit Jus Civile juri naturæ triplici potiſſimum modo: (*α*) qvatenus præcepta Juris naturæ ratione circumſtantiarum, vel ſecundum ſpeciem actus determinat: Ea ratione adhuc defendi poteſt juſtitia ſuſpendii. Cum enim natura ſontem eſſe puniendum dictitet, adeoqve hic actus ratione exercitii ſit neceſſarius, Jus Civile determinat ſaltem pœnam, additqve aliqvid, prout ſalus Reipublicæ id poſtulat, non tamen mutat Jus naturæ. (*β*) Qvatenus præcepta Juris Naturæ arctius conſervat & implet, qvo ſpectant illæ prohibitiones graduum ulteriores in contrahendis matrimoniis. (*γ*) Qvatenus ſubſtantialia qvædam addit pro uſu Reipublicæ particularis. Ita Jus naturæ duos ſufficere dicit teſtes ad rei probationem, Jus Civile vero ſeptem reqvirit ad

rit ad teſtamentum legitimè confectum. Hinc rectè dicitur in ead. *l. 6.* qvod Jus Civile non in totùm juri naturæ ſerviat. Qvando vero *l. 6.* mentio fit detractionis, id intelligendum eſſe putamus non ſolum de iis qvæ ſunt juris naturæ, per indirectum ita dicti, permisſivi, ſed etiam præceptivi. Cui poſteriori Jus Civile duplici imprimis modo detrahere ſolet. 1. In asſiſtentiæ & effectuum civilium denegatione, qva ratione utut jure naturæ pacta ſervanda ſint, qvamdiu tamen nuda pacta ſunt, Jure Civili non dabitur obligatio. 2. Contingit hæc detractio in permisſione actuum qvorundam juri naturæ non adeo convenientium, qvod fit v. c. qvando Jus Civile permittit divortium viri & uxoris, etiam extra caſus adulterii & malitioſæ deſertionis. Qvæ tamen omnia, aut ſecundum vel præter naturam, non tamen contra eandem fiunt ac conſtituuntur. Sic puto conſtabit Juris naturæ Immutabilitas.

§. XIII. Reſtat, ut de Juris Mutabilitate ea, qvæ ad rem faciunt, addamus. Mutationem autem in ſe recipere Jus Civile tum ab *objecto*, tum *cauſa efficiente*, & *finali* patet. *Objectum ſunt indifferentia*, hoc eſt, *ad qvæ ante legem latam nulla erat obligatio, ſed agi & omitti poterant, citra violationem honeſtatis*, ſecus ac objectum Juris naturæ ſeſe habebat. Horum autem qvædam indifferentia ſunt ſimpliciter, alia ſecundum ſpeciem actus, vel ſimilem circumſtantiam, cum interim ratione exercitii ſint neceſſaria. Qvæ qvidem poſteriori reſpectu ad Jus naturale, ſed priori ad Jus poſitivum pertinent, qvatenus determinantur ad certam ſpeciem vel circumſtantiam, jure naturali non definitam, ubi *forma, propter qvam* id etiam qvod alias indifferens erat, nunc pro neceſſario habetur, & juſtum appellatur, eſt *ſanctio Legislatoris &*

majeſtatis, vim obligandi eidem tribuens. Qvi Legislator prout è Republica eſſe putat, legem latam hoc vel illo modo interpretari, abrogare penitus, aut circa eandem vi ſuæ poteſtatis diſpenſare, qvin imo contrarium legi abrogatæ introducere nullo modo impeditur, dummodo non ſit juri naturæ contrarium, utut qvandoqve præter naturam Jus Civile aliqvid conſtituiſſe videatur.

§. XIV. Modus qvo mutari Jus Civile dicitur in §. noſtro duplex eſt. Conſenſus tacitus, & lex de novo lata. Per conſenſum tacitum, ni fallor, conſvetudo intelligitur, de qva nonnulla rem uberius declarantia, huc apponere non pigebit. Scilicet conſvetudo tum ad jus naturæ, tum ad jus poſitivum referri poteſt. Qvod mirum forte alicui videri poterat. Id vero ut explicemus, hæc notanda veniunt. Regula juris naturæ eſt: Æqvum eſt, ut unusqvisqve in cauſis indifferentibus, ſe & ſuas actiones conformet actionibus reliqvorum qvi vivunt in Republica. Qvo ipſo ad Jus naturale conſvetudinem ſpectare, palam eſt. Jam vero ut etiam ad Jus Civile referri posſit in ſubſidium accerſendæ ſunt LL. *de qvibus cauſis 32. §. 1. l. 33. 35. & 37. Dg. de LL. SCtis & long. conſvet.* Qvæ leges cum conſvetudines valere velint; eas vero leges principes poſtmodum tanqvam jus poſitivum approbaverint; apparet, effeciſſe eos, ut pars juris poſitivi conſvetudines eſſent. Et ſane rectisſime. Qvia enim omnis ratio ferendi juris tendere debet ad qvietem Reipublicæ commodumqve ſubditorum: & enim inſtituta, qvæ tacite & ſenſim populus ipſe introducit, ſine dubio optime genio populi conveniant & à populo ipſo pro commodisſimis habeantur, æqvisſimum erat, vel citra approbationem Magiſtratus conſvetudines honeſtas vigere. Sed cum ita ſolo æqvi-

tatis

tatis vinculo nitentes in foro civili ſine effectu obligandi futuræ ſint, merito approbatio magiſtratus, ſi non expreſſa, tacita tamen reqviritur. Qvo poſito, non ſolum qvando nulla lex contraria adeſt, conſvetudo obtinet *l. 32. D. de LL. SCtis & long. conſvet.* Sed & qvando lex contraria introducitur & invenit conſvetudinem particularem, per *cap. 1. X. de Conſt. in 6.* idem cum *Zoëſio ad tit. cit.* obtinere ſtatuimus, qvia Legislator, cum non cognitas habeat ſingulorum locorum conſvetudines, non præſumitur etiam illas abrogare velle. Qvin imo, qvod ad noſtrum ſcopum potisſimum facere videtur, conſvetudinem legi expreſsè ſanciti derogare dicimus ex *l. 32. D. de LL. SCtis & long. conſvet.* §. *1.* Leges enim, ut ſupra inſinuavimus; debent ferri qvam fieri poteſt ad genium populi: unde cauſa nulla eſt, cur bonus Princeps conſvetudinem honeſtam contra legem ſuam introductam valere nolit, vid. *Zoëſ. l. c. n. 29. & 16.* Nec obſtabit *l. 2. C. qvæ ſit long. conſvet.* Conſvetudo enim vincit legem non ſupervenientem ſed antecedentem, de qva priori textus Codicis loqvi videtur. Præſupponimus tamen legitimis actibus & tempore, eam eſſe radicatam ac confirmatam, cujus utriusqve numerum arbitrio judicis relinqvimus, cui duo qvandoqve actus ſufficere poſſunt.

§. XV. Alter modus eſt lex ſuperveniens & de novo lata, qvæ cum, ut principis placitum, vigorem habere debeat ex *l. 1. D. Conſt. Princip.* & §. *6. Inſt. de J. N. G. & C.*, cum priori tamen conſiſtere non posſit, alterutra obligationem amittere debet: Itaqve conſtitutiones tempore poſteriores, potiores eſſe his, qvæ ipſas præceſſerunt, conſtitutum eſt *l. 4. D. cit. tit.* Nec ſine ratione: Cum enim è Republica eſſet, ut v. g. permitteretur

retur

retur antea ſubditis aliqvid, ſucceſſu temporis eo prohiberi eosdem ſatius erat. Hinc legis prioris abrogatio & immutatio.

Hæc de Immutabilitate & Mutabilitate Juris pro ingenii tenuitate diſſeruiſſe ſufficiant. Cujus utriusqve naturam, ſi non exacte repræſentavimus, delineaſſe proderit, ad exemplum pictorum, qvi ut corpora ab initio ſaltem adumbrant, poſtmodum vero, cum temporis ſucceſſu ars incrementa ceperit, rite abſolvunt ac perficiunt, ita & nobis nemo vitio vertet, ſi in primitiis hiſce Academicis qvædam minus accurate aut tersè dicta inveniet. Emendabimus enim & ipſi hunc nævum, qvam primum cum DEO & die ad altiora fuerimus eniſi.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE